

A

1613

IX.

ORATIO
DE MORTUORVM RESVRRECTIONE, ARGVMENTIS, TAM E SACRA SCRIPTVRA, quàm è D. Patrum monumentis, & ab ipsa etiam experientia petitis, illustrata.



Authore

M. GEORGIO MANNO, superioris Vngariæ, Ecclesiæ Cassouienfium, Theologo.



BARTPHÆ,
Excudebat Daudid Gutgefell.

M. D. XCIII.

73
XII
Rar. II. 13/12

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.ig.j./

Rmk. II. 236 (Unicum!)

GENEROSO AC

MAGNIFICO DOMINO, D. GREGORIO HORWATH, ALITER STANFITH, de Gradecz, Domino in Neerer, aliter Strafa, Swabouetz, &c. Domino perpetua obseruantia colendo,
S. P. D.



ETSI, GENEROSE AC MAGNIFICE Domine, tota sacra scriptura fons est quidam limpidissimus, vnde singuli riuuli, tanquam flumina illa Paradyfi, corda piorum ceu agros rigantes, eos in illis fructus germinari faciunt, qui vitæ æternæ potiundæ spem liquidò confirment: tamen vt alius aquæ ductus alio nonnunquam amænior, magis hominum oculis allicit, ita in sacris literis ea loca, præ cæteris, animos hominum excitare atq; exhilarare & quædam velut aqua vitæ esse solent, quæ de mortuorum resurrectione agunt. Non enim iniucundum est mundi primordia nosse, rerum vicissitudines, heroum historias, Sanctorum labores cognouisse, cæli item astrorumq; motum contemplari: Sed haud scio, an quenquam ista multum delectari possint, eâ spe destitutum, fore vt his vitæ ærumnis liberatus gaudio nunquam desituro fruatur. Cuius læticiæ æternæ semina in animis hominum spargi ideò Deus optimus maximus voluit, vt magis magisq; huic mundo valedicerent, deq; cœlesti illa patria solliciti, quin illâ freti, quosuis fortunæ insultus æquiore animo ferrent. Quæ quum mecum reputarem, non alienum à munere meo facturum mihi videbar, si materiam illam consolationis plenissimam, de mortuis vitæ aliquando restituendis, à me *Agelēs évenca* compositam iuris publici facerem. Non quòd penitus singula essem persecutus: nam nemo vnquam satis de hoc doctrinæ genere verborum fecerit: sed aliis saltem de hoc ipso fidei articulo vberius agendi ansam vt præberem.

A ij berem.

berem. Ideò autem Magnificentiae Tuæ primitias hæc au-
sus sum inscribere : quòd sciam, imprimis illam puritate verbi
diuini delectari, de propagatione eiusdem anxie laborare, vt
finem omnium dulcissimum attingere tandem liceat eum, qui
vitam illam cœlestem concernat. Rogo autem Magnificen-
Tuam, hoc meum factum dextrè interpretari dignetur, non
tàm scripti, quàm voluntatis meæ ratione habita. Nec dubi-
tabo, vbi Magnif: Tua nomini suo quaecunq; hoc tirocini-
um dicatum non repudiauerit, quin ab inuidorum morsu fa-
cilè sim liber futurus. Magnif: Tua benè in Christo valeat,
à quo felicitatem & incolumitatem ex animo precor. Cas-
souia Idibus Augusti, Anno 1593.

Generositati & Magnif: Tuæ

deditis:

Georgius Mannus M.
Ecclesiae Cassouiensium
Theologus.

3
Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.ig.j./

ORATIO.



Um multa sint, quæ utiliter in Ecclesia læpius inculcantur, tum haud scio, an quicquam magis necessario repetatur, quàm doctrina de mortuorum resurrectione. Neque enim temerè à D. Apostolo dictum: Si mortui non resurgunt, miserimi sumus. Quin edamus, bibamus; cras morituri.

Proinde non malè de Ecclesia mereri videntur, qui omnes suas conciones eò dirigunt, vt homines se quidem mortales esse meminerint: sed quibus à morte certa sit spes in vitam restitutionis. Quia verò omnes resurrecturos esse constat, non verò eundem sortituros locum, sed alios vitæ, alios igni seu Gehennæ æternæ adiudicatum iri constat: vtique non incommodè monebuntur omnes & singuli, de vitæ fonte vt laborent, qui est Iesus Christus seruator noster. Nisi enim in hoc sint resurrecturi: nunquam natum esse præstaret, quàm ita resurgere, vt in inferno cum Satana, in perpetuum, tenebris ac verme torquendus sis non moriente.

Quam causam habuit idem Apostolus, cum de illa vniuersali resurrectione sparsim docendi, tum de speciali hac, quæ huius est vitæ: in qua peccato mori iubemur, Christo vt viuamus. Morte enim sua Seruator noster peccata sepeliit,

A iij quæ

ORATIO.

quæ singulis incumbunt quotidie itidem sepelienda: Quod fit, si implorato DEI auxilio, eiusq; sancto Spiritu ad vitæ fontem ducamur, animo hîc in terris ita renouati ac reuiuiscetes, vt nihil dubitare quicumque possit, quin vitæ huius ærumnis liberatus, gaudio olim æterno potiturus sit. De qualæticia perenni, ac vita in Christo æterna quò impensius laboremus: non alienum à me putavi facturus, si articulum resurrectionis, omnis consolationis plenissimum, saltem compendio examinandum seu exponendum susciperem. Quumq; disputatio omnis, secundum Rhetorum præcepta, debeat à definitione proficisci, vt intelligamus, quid sit id, de quo agitur: Verum cum Quæstionem, an sit, cæteras præcedere Nobilissimi Philosophi docuerint, non alienum à præsentis negotio fore putavi, statim in vestibulo inuictissimis testimoniis necessitatem resurrectionis euidenter proponere: Deinde, quid sit, quæ species, quæ causæ eiusdem, qui effectus, quæ demùm consequentia & pugnancia: perspecuo sermone omni fuce orationis, atque Rhetoricis pigmentis (quæ materia præsens non fert) reiectis, enarrabo: Tandem totum negotium cum exhortatione concludam.

Confirmatio,
eiusq; primum
membrum.

Eos, qui fide in DEI filium, vt necessaria & vnica via saluari se credunt, doctrinam clarè & perspi-

ORATIO.

perspicuè, non umbratili pictura, sed absque omnibus inuolucris nobis à supremo iudice, & sapientissimo Doctore traditam, de eorum qui obdormierunt ad postremum, ac nouissimum diem resurrectione, nostrorumq; corporum resurrectione, de iudicio secuturo, æterna deniq; piorum vita, & reproborum pœnis nullum vnquam finem consequuturis sine omni controuersia amplecti, certum indubitatumq; est.

At, quorum pectora luce Euangelica nequam sunt illustrata, reclamant: Qua fieri ratione possit, vt caro putredine corrupta, atq; dissoluta, aut in puluerem tota redacta, interdum quod in ~~is~~ maris profundo abrepta, sæuisq; procellis dispersa, de nouo recolligatur, inq; vnum corpus quod iam in elementa commutatum fuit, redintegretur? Huius sanè rei veram causam humanitus concepta ratio assequi nequit: Sed veritatis spiritus disertè inquit in Apostolo: In-

Ethnicorum argumentum proponitur, ac deinceps variis testimoniis & argumentis retunditur.

1. Cor: 15.

spiciens, tu quod seminas, non viuificatur nisi prius moriatur: quodq; seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum tritici, aut alicuius cœterorum seminum: DEVS autem dat corpus, prout valuit, & singulis feminibus suum corpus.

Atqui quod in feminibus, quæ in terram iaciuntur singulis annis, quis fieri videt, adeonè stupidus,

O R A T I O.

pidus, pietatis expers, diuinitatisq; leuis æstimator esse potest, vt id ipsum in sua carne, quæ lege Dei seminatur in terra, futurum non esse credat? Quid hominem, obsecro, mouere potest, vt tam infirmam ac inualidam Dei creatoris sui gloriam, ac potentiam æstimet, tamque augustus eiusdem sit censor, vt penes omnipotentem tantam potentiam, qua dispersum vnus cuiusq; carnis puluerem in suum ordinem, rationemque colligat, & reparaet, esse inficietur. Quis huic fidem non adhibeat, cum etiam cernat mortalium ingenia in profundissima terræ viscera demersas auri, argenti que venas rimari, indeque ad vitæ vsum necessaria metalla, vbi imperitus terram duntaxat & arbitratur, eruere. Hæc cur non concedamus ei, qui hominem fecit, siquidem tantum is, qui ab ipso factus est, assequi potest? Cumque auri esse aliam venam, & argenti propriam, æris quoque longè disparem, ferri que ac plumbi diuersam intra superficiem terræ latere ingenium humanum deprehendat, diuina virtus inuenire posse, ac discernere non putabitur cuiuslibet carnis proprium sensum etiam si dispersum. Verum naturaliter quoque hoc ipsum tentemus: Si quis diuersa semina in vnum permisceat, & hæc indiscreta seminet, vel palsim spargat in terram, nonné vnus cuiusque feminis granum quocunq; loco iactum fuerit, competenti

A Minori ad maius.

A similitudine feminis.

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.ig.j./

petenti t
men pro
sui repor
stantia, q
tio tame
mortalis
terum co
ma, vt no
sed ad su
intelliga
à peccat
no ad or
tam nat
teritum
didam g
accurati
sim apud
Paulus c
his firm
tuorum
Si Chris
tio nost
Nunc a
mitiæ e
enim p
resurrec
mnes n

O R A T I O.

pidus, pietatis expers, diuinitatisq; leuis æstimator esse potest, vt id ipsum in sua carne, quæ lege Dei seminatur in terra, futurum non esse credat? Quid hominem, obsecro, mouere potest, vt tam infirmam ac inuolidam Dei creatoris sui gloriam, ac potentiam æstimet, tamque augustus eiusdem sit censor, vt penes omnipotentem tantam potentiam, qua dispersum vnus cuiusq; carnis puluerem in suum ordinem, rationemque colligat, & reparaet, esse inficietur. Quis huic fidem non adhibeat, cum etiam cernat mortalium ingenia in profundissima terræ viscera demersas auri, argenti que venas rimari, indeque ad vitæ usum necessaria metalla, vbi imperitus terram duntaxat ~~se~~ arbitratur, eruere. Hæc cur non concedamus ei, qui hominem fecit, siquidem tantum is, qui ab ipso factus est, assequi potest? Cumque auri esse aliam venam, & argenti propriam, æris quoque longè disparem, ferri que ac plumbi diuersam intra superficiem terræ latere ingenium humanum deprehendat, diuina virtus inuenire posse, ac discernere non putabitur cuiuslibet carnis proprium sensum etiam si dispersum. Verum naturaliter quoque hoc ipsum tentemus: Si quis diuersa semina in vnum permisceat, & hæc indiscreta seminet, vel palsim spargat in terram, nonné vnus cuiusque seminis granum quocunq; loco iactum fuerit, competenti

A Minori ad
maius.

A similitudine
feminis.

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307. 18. j./

petenti
men pro
sui repo
stantia,
tio tamen
mortalis
terum c
ma, vt n
sed ad su
intellig
à pecca
no ad o
tam ina
teritur
didam
accurat
sim apu
Paulus
his firm
tuorum
Si Chri
tio nos
Nunc a
mitiæ e
enim p
resurre
mnes r

O R A T I O.

petenti tempore iuxta naturæ suæ ordinem germen producet, & statum formæ suæ corporisquæ sui reportabit? Ita ergò vniuscuiusq; carnis substantia, quamuis variè, diuersèquæ dispersa sit, ratio tamen ipsa, quæ inest vnicuique carni, est immortalis, & huic, postquam mors eos separauit, iterum copulatur, atque ita redit vnaquæque anima, vt non ad confusum, aut extraneum corpus, sed ad suum, quod habuerat, reparetur, quò fideles intelligant, carnem suam si immunem seruauerint à peccato, futuram esse vas honoris vtile Domino ad omne opus bonum paratum: Si verò contrariam in peccatis, futurum esse vas iræ in interitum. Quod si quis ipsam resurrectionis splendidam gloriam, & promissionis magnitudinem accuratius, diligentiusquæ intelligere velit, is passim apud diuinos scriptores apertè hoc inueniet. Paulus cùm aliis multis argumentis, tum etiam his firmissimis vtitur: Quod si resurrectio mortuorum non est, Christus quoq; excitatus non est: Si Christus non est excitatus, inanis est prædicationis nostra: inanis quoq; est fides. Et paulò post: Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, & primitiæ eorum, qui obdormierunt, factus est: Quia enim per hominem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum: Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificantur,

B buntur,

Testimonia Pauli
1. Cor: 15.

O R A T I O.

, buntur, vnusquisque autem suo ordine: primitiæ
 , Christus, postea qui sunt in aduentu ipsius, seque-
 , turque finis. Insuper ait: Ecce Mysterium dico
 , vobis, non omnes quidem dormiemus, sed omnes
 , immutabimur momento, & ictu oculi: Canet e-
 , nim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos
 , immutabimur. Ad Thessalonicenses scribens in-
 , quit: Nolo vos ignorare fratres de dormienti-
 , bus, ne contristemini, sicut cæteri, qui spem non
 , habent; Nam si credimus, quod Iesus est mortuus,
 , & resurrexit: Ita Deus eos, qui dormierunt per Ie-
 , sum adducet cum illo. Hoc enim vobis dicimus
 , in verbo Domini: quia nos qui viuimus, qui re-
 , liqui sumus, in aduentu Domini præueniemus e-
 , os, qui dormierunt: quia ipse Dominus in iussu,
 , & in voce Archangeli, & tuba Dei descendet de
 , cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent pri-
 , mi: deinde nos qui viuimus, qui reliqui sumus,
 , simul cum ipsis rapiemur in nubibus obuiam
 , Christo in aëra, & ita semper cum Domino erim⁹.

1. Theff. 4.

Neque est quod miretur quispiam, quod caro
 sanctorum in gloriam tantam ex resurrectione
 mutanda sit, vt in occursum Dei leuata in nubi-
 bus, & aëre vecta rapiatur, cum ipse Apostolus,
 quantum conferat Deus his, qui diligunt eum, ex-
 ponens dicat; Qui transmutabit corpus humili-
 tatis nostræ, conforme fieri corpori claritatis
 suæ.

Rom; 8.

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
 /307.ig.j./

suæ
 præ
 & fi
 enin
 ratu
 Chri
 Salu
 Qui
 le. D
 Ma
 cert
 in f
 An
 plaf
 volu
 igit
 bus,
 male
 ti cr
 aute
 fti, v
 ges
 li te
 dean
 null
 chie
 loqu

O R A T I O.

suæ. Vnde iam creditu difficile non erit, quod prædixerant Prophetæ: Iusti fulgebunt sicut Sol, & sicut splendor firmamenti in regno Dei. His enim vel vita, vel conuersatio angelorum Dei paratur in cœlis, dicunturque ad gloriam corporis Christi conformandi: quam equidem gloriam Saluatoris ore promissam respiciens alibi dixit: Quia seminatur corpus animale, resurget spirituale. Nam si verum est, iustos, sanctosque diuinam 1. Cor: 15. Maiestatem angelorum consortiis associaturam; certum quoque & ratum manet, corpora ipsorum in spiritualis corporis gloriam, conuersum iri. An non Deus limum terræ accipiens hominem plasmauit, fuitque hæc natura corporis nostri, vt voluntate Dei terra in carnem verteretur? Cur igitur absurdum videri poterit, si iisdem rationibus, quibus terra proficisci dicitur in corpus animale, rursus corpus animale in spirituale conuer- ti credatur? Præterea alio in loco ait: Omnes 2. Cor: 5. autem nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout c- gessit, siue bonum, siue malum. Ac ne solius Pau- li testimoniis veritatem propositi ostendere vi- dear, (licet ea adeò sunt firma, atque immota, vt nulla ratione labefactari queant) audiamus Eze- Testimonia Pro- phetarum. Ezechiel: 37. chielem prophetam olim per Spiritum sanctum loquentem: Ecce, inquit, ego aperiam sepulchra

B ij vestra,

Régi. nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.13.j./

O R A T I O.

vestra, & educam vos de sepulchris vestris: ossa arida, ecce ego vobis spiritum dabo, & viuetis, dabo super vos neruos, & succrescere finam super carnem: Et accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam. Et Esdras inquit, Iudicium post mortem veniet: quando iterum reuiuiscemus, iustorum nomina patebunt, & impiorum facta ostendentur. Sic Daniel: Et multi de his, qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt. Iob quoque mysticis redundans eloquiis euidenter mortuorum resurrectionem prædicat: Est (inquit) arboris spes: Si enim abscissa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum eius nunquam deficiet: Quod si tenuerit, in terra est radix eius. Sin in petra emortua fuerit, truncus ab odore aquæ refloreat, & faciet fruticem sicut nouella. Vir verò si mortuus fuerit, abit? & mortalis si ceciderit, ultra non erit? Mihi profectò his verbis videtur cum quodam pudore humanum genus arguere, ac si diceret: adeone stupidi ac prorsus insensati sunt homines, vt cum videant excisæ arboris truncum rursus pullulare è terra, & lignum emortuum vitam recipere, ipsisue lignis quidem aliquid simile de semetipsis arbitrentur? Atque ita se rem habere consequentia demonstrant. Si enim mortuus fuerit homo, viuet: Et paulò post, Expectabo vsquequò iterum fiam. Et postea, Qui resuscitaturus

Cap: 12.

Iob. 14.

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.ig.j./

taturus e
nunc hau
ptor meu
recturus
& in carn
ego ipse,
us: Repo
ma alia f
resurrect
ait: Cun
& impiis
Malachi
in radice
ris ac pe
mercena
opprimu
Dominu
ergò col
Sic erit
hominis
omnia
&c. Cù
iestate f
super se
te eum
sicut pa
ues à de

O R A T I O.

taturus est super terram, pellem meam, quæ hæc
 nunc haurit. Denique inquit: Scio quòd redem- Id cap: 19.
 ptor meus viuit, & in nouissimo die, de terra sur-
 rectorus sum, & rursus circumdabor pelle mea,
 & in carne mea videbo Deum: quem visurus sum
 ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non ali-
 us: Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Pluri-
 ma alia sunt, quæ vltimam corporum nostrorum Cap: 12.
 resurrectionem perspicuè declarant. Ecclesiastes
 ait: Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium:
 & impiis ac peccatoribus reddet vindictam, &c. Cap: 3.
 Malachias propheta inquit: Et accedam ad vos
 in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulte-
 ris ac periuris, & qui calumniantur mercedem
 mercenarij, & humiliant viduas, & pupillos, &
 opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Ecclesiastarum
testimonia.
Matth: 17.
 Dominus exercituum. Matthæus inquit: Sicut
 ergò colliguntur zizania, & igni comburuntur:
 Sic erit in consumatione sæculi: Mittet filius
 hominis angelos suos, & colligent de regno eius
 omnia scandala, & eos qui facient iniquitatem,
 &c. Cùm autem venerit filius hominis in ma- Cap: 25.
 iestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc setebit
 super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur an-
 te eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem,
 sicut pastor segregat oues ab hædis: & statuet o-
 ues à dextris, hædos à sinistris, dicens his, qui à de-

B iij xtris

12

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
 /307.ig.j./

O R A T I O.

xtris erunt: Venite benedicti patris mei, posside-
te paratum vobis regnum à constitutione mun-
di, &c. Marcus: Cùm enim à mortuis resurrexe-
rint, neque vxores ducunt, neque nuptum dantur,
sed sunt vt angeli in cœlis; Ioan: Nolite mirari
hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monu-
mentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent
in vitæ resurrectionem, qui bona fecerunt: qui ve-
rò mala, in resurrectionem iudicij. Scio quia La-
zarus resurget in resurrectione in nouissimo die.
Ecce venit Iesus Christus cum nubibus, & videbit
eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.

Marc: 12.

Ioan: 5.

Cap: 11.

Apoc: 1.

Ecclesiastico-
rum patrum
testimonia.

Ad Heliodo-
rum.

Epistola 34.

Huc accedunt & Patrum testimonia. Augu-
stinus: Resurgent sanctorum corpora sine vilo vi-
tio, sine vlla deformitate, sine vlla corruptione,
sine difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta
fœlicitas erit. Veniet dies illa, veniet, in qua cor-
ruptum hoc & mortale induat incorruptionem
& immortalitatem: beatus ille seruus, quem in-
uenerit Dominus vigilantem, tunc ad vocem tu-
bæ pauebit terra. Exhibebitur tum cum prole sua
igneus Iuppiter, adducetur cum suis stultis Plato
discipulis, Aristoteli argumenta non proderunt:
Tunc publicanus & pauper exultabit, dicens: Ec-
ce Iudex, qui inuolutus pannis in præsepio vagiit,
hic est operarij filius, matris gestatus sinu, Deus
homo fugit in Ægyptum, &c. Et alibi: Dicimus

quo-

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.ig.j./

quoq;
recipi
siue m
fuscita
omni
bestia
cinere
vel qu
cretur
tractu
cogn
Qual
app
idcir
quia
dicia
mus,
plicia
niend
bunt
tam a
die,
conf
appa
repro
tion
plic

ORATIO.

quoq; & iudicium futurum, in quo vnusquisque recipiet propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala. Insuper inquit: Tibi absit quod ad resuscitanda corpora, vitæque reddenda non possit omnipotentia creatoris omnia reuocare, quæ vis bestię, vel ignis absumpsit, vel quod in puluerem, cineremue collapsum, vel in humorem solutum, vel quod in auras est exhalatum: absit vt sinus, secretumque illud naturæ ita recipiat aliquod subtractum sensibus nostris, vt omnium creatoris aut cognitionem lateat, aut potestatem refugiat. Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio apparebit, vel repræsentabitur. Sunt etiam qui idcirco peccatis suis ponere finem negligunt, quia habere quandoque finem futura super se iudicij suspicantur: Quibus breuiter respondemus, si quandoque finienda sunt reproborum supplicia: quandoque ergo sunt bonorum gaudia finienda. Per semetipsam namque veritas dicit: Ibiunt in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Idem inquit: In extremo iudicij die, cum apertis cœlis, ministrantibus angelis, confedentibus Apostolis, in sede maiestatis suæ apparebit Christus, quem omnes electi pariter & reprobi videbunt, vt & iusti de munere retributionis sine fine gaudeant, & iniusti de ultione supplicij in perpetuum gemant. Idem: Redemptor

De ciuitate Dei,
lib: 22.

Gregor: lib: 4.
Dialog:
Lib: 34. Moral:

Matthæi 25.
Homilia 25.

Lib: 14. Moral:

noster

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.ig.j./

ORATIO.

noster suscepit mortem, ne mori timerem⁹: Contendit resurrectionem, ut nos resurgere posse confidamus. Ibidem: sunt nonnulli qui considerantes, quod spiritus à cane soluitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in puluerem redigitur, quod puluis in elementa resoluitur, ut nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperent: Et dum arida ossa inspiciunt, hæc vestiri carnibus, rursusque ad vitam viridescere posse diffidant. Qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certè hanc ex ratione tenere debuerant.

Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus minitatur? Per cotidiana quippe momenta lux ipsa temporalis quasi moritur, dum superuenientibus noctis tenebris, ea quæ aspiciebatur subtrahitur, & quasi quotidie resurgit, dum lux oblata oculis suppressa iterum nocte reparatur. Per momenta quoque temporum arbuta cernimus, viriditatem foliorum amittere, à fructuum prolatione post largitionem cessare: & ecce subito quasi ex arescente ligno velut quadam resurrectione veniente videmus folia erumpere, fructum grandescere, totamque arborem rediuvio decore vestiri. Consideremus quæso paruum cuiuslibet arboris semen, quod in terram iacitur, ut arbor ex illo producat, & compræ-

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.ig.j./

ORATIO.

comprehendamus, si possumus, ubi in illa tanta
 feminis paruitate tam immensa arbor latuit, quæ
 ex illo processit, ubi lignum, ubi cortex, ubi fo-
 liorum viriditas, ubi ubertas fructuum? Attamen
 occulto rerum omnium opifice cuncta mirabili
 arte ordinante, & in mollicie feminis latuit aspe-
 ritas corticis, & in teneritudine illius abscondita
 est roboris fortitudo, & in siccitate eius ubertas
 fructificationis. Mirumné igitur est, si tenuissi-
 mum pulverem vel à nostris oculis in elementa
 redactum, cum vult Deus, in hominem reformat,
 qui ex tenuissimis feminibus immensa arbuſta re-
 integrat? His omnibus astipulatur D. Hierony-
 mus, inquit: Resurrectionem carnis confite-
 mur, & credimus, ut dicamus nos in eadem, in qua
 nunc sumus veritate membrorum reparandos esse,
 qualesque semel post resurrectionem fuerimus ef-
 fecti, in perpetuum permanſuros. Neque ab his
 dissentit Lactantius, qui sæculi huius terminum,
 ac finale iudicium describens, ait: Post hæc ape-
 rientur inferi & mortui resurgent, de quibus iudi-
 cium magnum idem ipse Rex ac Deus faciet, cui
 summus pater & iudicandi & regnandi potesta-
 tem dabit maximam. Et paulò post: Non igitur
 renascentur, quod fieri non potest, sed resurgent,
 & à Deo corporibus induentur, & prioris vitæ, fa-
 ctorumque omnium memores erunt: in bonis cœ-

Epistola 2.

Lib: 7. cap: 20.

Cap: 23.

C lestibus

46
 Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
 /307.13.j./

O R A T I O.

lestibus collocati, ac fruentes iucunditate innum-
 merabilium copiarum, præsentì Deo gratias a-
 gent, quòd malum omne deleuerit, quòd eos ad
 regnum, vitamque perpetuam suscitavit. Quid
 obsecro tanta fuit Abrahæ cura honestè sepeli-
 endi Saram, coniugem suam, quæ centesimo vigesi-
 mo septimo anno mortua fuit, ita vt quadringen-
 tis argenti Siclis cauernam sepulturæ emeret?
 Quid Baptistæ discipulos mouit, vt audientes Io-
 hannem decollatum esse ab Herode, venerint &
 tulerint corpus eius, & sepelierint eum? Nulla sa-
 nè mortui spes resurrectionis ipsorum animis in-
 sita si fuisset, hoc nunquam honore ipsum affici-
 sent. Quorsum sacer hic & inuiolabilis sepeli-
 endi mos, nisi vt Arrha esset nouæ vitæ? Et sanè a-
 pud gentes eundem honestissimum morem ma-
 nere Deus voluit, vt resurrectionis obiecta effi-
 gies, & velut viua imago earum summum torpo-
 rem expergefaceret. Macedonibus nullum fuit
 tam solenne militiæ munus, quàm suos sepelire.
 Ac inter Atticas hæc quoque scripta fuit: Si quis
 in insepultum cadauer hominis incidat, omni
 parte id terra obruat, & sepeliat ad occasum spe-
 ctans. Atheniensibus maximam semper cadaue-
 rum sepeliendorum curam fuisse constat, ita, vt
 qui homines inhumatos relinquerent, quouis sup-
 plicio dignos arbitrarentur. Idcirco summos du-
 ces

Apud Ethnicos
 sepeliendi hone-
 stum fuisse mo-
 rem ostenditur.
 Aelianus lib: 5.

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok: 17
 /307.ig.j./

O R A T I O.

ces, quia cæsos nauali pugna in mare deiecerunt, grauibus pœnis, & capitis supplicio affecere: quibus, cùm peremptorum corpora assequi nequirent, illorum ossa & disiecta membra passim strata exquirere, & humo tegere, defunctosque in acie tumulo publicè extructo quotannis pro concione laudare magnæ curæ fuit. Romani olim erga mortuos honorandos maximè celebres fuere, condendis sepulchris, ponendis statuis, inscribendis titulis. Imò apud eos tanta fuit sepulchrorum cura, vt publica etiam monumenta sepulturæ pauperibus, seruis, & hostibus ædificarint. Iam verè quorum attinet hæc fecisse, nisi ipsi etiam increduli ante oculos naturæ propemodum instinctu resurrectionis effigiem habuissent. Explo-
dantur itaque non tantùm brutus hic atque stupor communis philosophorum, quorum nullus resurrectionem mentis lumine vnquam completi valuit, sed impiorum quoque Sadducæorum dogmata, qui & mortuorum resurrectionem negabant, deque animarum immortalitate malè sentiebant, spiritus angelosque omninò reiicientes. Libertinorum prorsus vertiginosas, & diabolicas cogitatiões animo toto execremur, qui corporis resurrectionem derident, impiè & blasphemè, ac scripturas eludere conantur, ac si de animorum resurrectione tantum interpretandæ essent, qui

Cōclusio est primi membri orationis illata cōtra Philosophorum, Sadducæorum, Libertinorum, aliorumque de resurrectione opinionem.

C ij cùm

18

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.18.j./

ORATIO.

cùm peccato sint mortui, per Christum & fidem in eum vitæ restituantur. Neque sanè verbis aut cuiuspiam oratione satis exprimi potest, quàm latè infideant perniciosissimi errores hi infirmorum cordibus, ita vt non immeritò D. Paulus eos Gangrænam, quæ per totum corpus latè serpit, nominauerit. Eheu quàm horribilis est blasphemia, quam euomunt, dum resurrectionis articulum è medio tollunt: proh dolor, si vel in his vnica salis, veræque sapientiæ mica esset, cuncta nostræ fidei mysteria funditùs non euerterent. Si namque non resurgunt, falsum erit & fucatum, quod de filij Dei resurrectione cum à Prophetis, tum à Apostolis scriptum est: Si non resurrexit Dei vnicus filius, nec verè mortuus est, nisi effingendum sit morte adhuc eum detineri: quod & Dei, & Seruatoris nostri repugnat naturæ.

Repetitio principalis argumenti de resurrectione.
Transitio à questione An sit?

Sed ne videar, quàm par est, hac in parte rem prolixius ac acuratius elaborare, totam nunc orationem ad ipsius doctrinæ fundamenta conuertam, quibus perspectis atque cognitis, nihil quod remoram, scrupulumue nostris mentibus iniicere possit, superesse arbitror.

II. Secundum membrum.
Quid sit, seu definitio.

Est autem, vt disertè ipsis verbis significatur, aliud nihil resurrectio, quàm mortuorum quæque esse desierunt ad vitam resuscitatio, & restauratio. Dij immortales, quò me conuertam? vnde dicendi
initium

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok: /307.ig.j./

initium
oraqu
cordi
diffic
tem h
pera a
causa
serico
iustit
tis te
qui f
in co
ui
ac d
nis
man
licti
tur,
nisi
bus
hau
scit
me
vin
me
ne
co

ORATIO.

initium sumam? Nam nisi si centum linguæ sint
 oraque centum, vox sonet infracta, & rigeant præ-
 cordia ferro, nescirem in tam latissimo campo,
 difficilior exitusné an ingressus existeret. Etsi au-
 tem horrenda illa primorum parentum labes o-
 pera astutiâ serpentis perpetrata, sola atque vnica
 causa mortis introductæ extitit (quem enim mi-
 sericordia diuina custodiebat, veritas docebat,
 iustitia regebat, pax benignissimè fouebat, mor-
 tis tela lædere penitèns nequibant) attamen his,
 qui sub vexillis Christi militant, æternamque, qua
 in cœlesti patria potiemur omni voluptate, sua-
 uissimam vitam hîc inchoant, mortem malorum,
 ac difficillimæ inter medias spinas peregrinatio-
 nis dulcissimum finem esse omninò persuasum
 manet. Quid enim ea est aliud, quàm corporis re-
 lictio, sarcinæ grauis depositio, si alia non porte-
 tur, qua in Gehennam præcipitatur homo? Ac
 nisi alius restaret portus, multò cæteris animanti-
 bus deteriorem nostrum esse statum pronunciare
 haud vererer. Imò primitiæ dormientium resu-
 scitationis est ipse Redemptor caput atque funda-
 mentum nostrum, cuius potentia mortis dirupit
 vincula, ne nos eiuidem vel minimus inuaderet
 metus: gloriosam quoque vitam recepit omni fi-
 ne carentem, vt nostrorum corporum cum animis
 copulationem futuram, constanter consideremus.

Illustratio defi-
 nitionis, vbi re-
 futantur duo
 errores.

C iij Neque

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
 /307.13.j./

O R A T I O.

Neque enim casu gestum esse putandum est, ut discipulis Dominum videntibus electus ille discipulus tunc deesset, posteaquã veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet: Sed palpando & videndo evidens testimonium præbuit veræ resurrectionis, id est, coniunctionis corporis prioris cum anima. Atque si resurrectio, ut ex Etymo patet, eiusdem non alterius rei instaurationem inducit, meritò à nobis dici potest prodigiosus Manicheorũ error, qui animas non recepturas, quibus nunc indutæ sunt, corpora, sed aliis, prorsusque novis præditas fore delirant; cum immunda, & peccatis obnoxia carceresurgere nequeat: ac si nulla animarum immundities esset, quas tamen à cœlesti vita nequaquam arcebant. Quid Apostoli verbis dicent, qui non minus precatur, ut Deus integra corpora conferuet usque ad diem Christi, quam animas & spiritus? Hinc etiam impium & diabolicum eorum esse errorem constat, qui totum hominem interiturum, animam & corpus, posteaque animas cum corporibus resurrecturas sunt arbitrati. Hic sanè belluinus est error, ex spiritu immortalis ad imaginem æterni Dei creato ac formato flatum euanidum facere, qui in hac fragili atque caduca vita miserum & mortale corpus vegetet: templum Spiritus sancti in nihilum prorsus redigere: eam denique

Brevis refutatio
Manicheorum.

1. Thessal: 5.

Altera refutatio eorum qui cum corpore animam interire putarunt.

O R A T I O.

denique nostri partem, in qua tanquam in speculo æterna Dei diuinitas apparet, renidet atque refulget, in qua preciosissimæ, maximèque insignes immortalitatis sunt notæ, præcipuo suo ornamento, & dote spoliare, corporis quàm animæ conditionem longè nobiliorem esse somniando. Re- 2. Coriath: 5. spondeant Paulo, qui de fidelibus Christi seruis verba faciens inquit: Vbi terrestris domus nostra dissoluta fuerit, nobis esse in cœlis ædificium. Et addit: Nos peregrinari à Domino, quandiu manemus in corpore, sed expetere Dei præsentiam in absentia corporis. Iam verò si totus homo interiret, nec post dissolutionem à corporeis vinculis animæ superstites manerent, Christi ad latronem verba, Hodie eris mecum in Paradiso, cuius essent efficaciam? Sed ne argutius, liberiusque philosophandi licentia abuti videar, me frænato, atque his finem dicendi faciam, quæ de modo resurrectionis in definitione sunt proposita: illud vt veritatis fundamentum concludens, animas mortem non pati, corpora nostra mortalia in nouissimo die resurrectura, eadem quæ hîc gessimus quoad substantiam, qualitate mutata (sicuti ipsius Redemptoris caro aliis dotibus post resurrectionem excelluit) eodemque tubæ clangore Deum non tantùm nos mortuos incorruptiles excitaturum, sed & in temporis puncto ac oculi ictu, viuos,

22
Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307. is. j. /

O R A T I O.

uos, subita mutatione reformaturum in eandem gloriam.

III. membrum
de speciebus re-
surrectionis.

Iohan: 5.

Sunt autem duo, ut mihi videtur, resurrectionis gradus; Vnus particularis eorum, qui, postquam filius Dei mortem deuicit, resurrexerunt, ut scriptum est Matth: 27. Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt: Qui egressi è monumentis post resurrectionem eius, introierunt in sanctam urbem, & apparuerunt multis. Alius est generalis, isque aut eorum, qui obdormierunt ante: Veniet enim hora qua omnes, qui sunt in monumentis ^{audient} vocem filij Dei & prodibunt: Si enim spiritus eius, qui excitauit Dominum Iesum à mortuis, habitat in nobis, is, qui excitauit Christum à mortuis, uiuificabit mortalia corpora nostra propter ipsius spiritum habitantem in nobis. Aut eorum est, qui temporis momento immutabuntur in discretionem illa hædorum ab agnis, & secundo Christi aduentu, ut dictum est: Non omnes dormiemus, sed immutabimur, &c.

IIII. membrum
de causis.

At quærat fortasse incredulus Iudæus huius resurrectionis, quæ vera est regeneratio, causas: ô induratum occæcatumq; prorsus adamantinum pectus! ô admirandum & plus quam beluinum stuporem! Anne Dei omnipotentis, Domini Abrahamæ, Isaac, Iacob, voluntati quippiam detrahendum

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.ig.j./

23

O R A T I O.

hendum putas? Si efficientem quæris, non humanum ingenium, prudentiam, atque industriam, non ipsorum cadauerum tibi naturam obiicio: Sed ipsum Dominum, qui omnia quæcunque voluit in cœlo & terris, liberè ac pro arbitrio effecit. At tibi Satanæ laqueis irretito nequaquam hîc quiescendum arbitraris, vltraque voluntatis diuinæ causam inuestigas: Stulte ac demens non sentis, non vides vesaniam tuam, quòd te totum Beelzebub mancipaueris: omnis efficiens causa eo est maior, quod fit: Nihil autem voluntate Dei maius, nihil nobilius atque præstantius inueniri potest. Compendio hîc perstringo, quæ & vberius tractari possent, & splendidiorum verborum apparatus merentur. Materiam insensate scire *Materialis.* optas, conuerte oculos ad Iesum Christum, quem vnicum Dei filium crucis pœna affecisti: intuere Christi saluatoris militem ouis instar mactationi caducæ & mortali destinatum, at postea nunquam interitura gloria potiturum ac tranquillitate: Tuum animum, corpusque intuere, & considera, æterni atque supremi Iudicis immota, & terribili sententia puniendum. Hæc nostræ est resurrectionis materia, hæc vnica est substantia, non alia essentia diuersa, quæ resuscitanda est.

Formam velis, hanc omni tempore oculis tuis *Formalis.* ipsum hominem, Adæ lapsu, peccato, & morti ob-

D noxium

24

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.18.j./

ORATIO.

Finis cum effectibus.

i. effectus Resurrectionis vel finis.

noxium, habes. Quid igitur te mouet, quò minus in meam descendas sententiam? An utilitas, quam nullam esse arbitraris, obstrepit atque obstrigillat? Concinnè quidem tu, & musicè omnia nectis; sed ne quid deesse causæ videatur, huius effectus quàm breuissimè in medium proferam, ne quid conscientiam impuram atque sceleratam pungere queat: Tibi sanè alius nullus, incredule, promanat fructus, nisi quòd omnipotentia Dei apertissimum hinc testimonium habeas, cuius mira arte, liberaque voluntate ea vniuntur atque copulantur, quæ humanis viribus & rationi adeò impossibilia apparent, vt de ipsius æterni creatoris facultate prorsus ambigat, vacillet, atque hallucinetur. Nobis verò, quorum vita precioso filij Dei sanguine obsignata est, inprimis si ex præscripto verbi sui piè viuamus liberatio à morte prouenit. At morte quid tristius? quod grauius supplicium esse potest? non quidem ea, quæ naturæ esse dicitur, & fortibus metuenda non est, sapientibus desideranda, miseris expetenda: sed ea longè tristissima, quæ animam simulque corpus perpetuis cruciatibus vinctum detinet? Si ipsa quæ inuitabilis, & post originis peccatum naturalis est, nosque à calamitatibus ac malis innumeris abstrahit, terribilis iudicatur: multò sanè magis ea mors, quæ totum hominem destruit, metuenda

enda erit
 cti in igne
 angelis
 cium est
 bolo vid
 æternam
 inferno
 siquidem
 exhibit, n
 co in lo
 pinquus
 cumulat
 opia tab
 nuditat
 profuit
 luxuria,
 quid pr
 instar, &
 duli cru
 nis. Ibi
 finis sine
 semper
 rimit, &
 nus pau
 quam te
 fines at
 nus est

ORATIO.

enda erit, de qua dicitur: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, &c. Hocné igitur summum beneficium est ab æterna morte liberari? Deinde à diabolo vides & inferno liberari nos, Christumq; ad æternam pacem nobis viam præparasse. At quid inferno grauius? ibi nulla salus, redemptio nulla, siquidem illic damnatus & demersus vltèrius non exiit, ne pater quidem filium, nec filius patrem eo in loco iuuare potest. Quid amicus vel propinquus, aurum, vel argentum, quod nunc auari cumulant, & in acervos congregant, pauperes inopia tabescere intuentes, & præ nimia fame ac siti nuditatem & mortem incurrere, prodest? Quid profuit superbia? diuitiæ, honores, dignitates, luxuria, gulositas, omnesque voluptates, annè aliquid profuere? Ecce omnia transierunt somnij instar, & quasi fumus ac vmbra, omnesque increduli cruciatibus deputati sunt, & suppliciis æternis. Ibi horrendo modo fit illis mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors semper viuit, & defectus deficere nescit: mors perimit, & non extinguit, dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, sed nunquam tenebras excutit. Cæteros denique omnes fines atque effectus vt prætermittam, hic certè vnus est optatissimus, & dulcissimus iis, qui Deum,
Dij eiusque

2. effectus.

3. effectus.

Régi nyomtatványok,
/307.ig.j./
Lyceum, Kežmarok:

O R A T I O.

eiusque filium dilexerunt ex resurrectione, ut cum sint à diabolorum impetu, inferni ac mortis æternæ sæuitia liberati, reconcilientur, reducantur, atque agglutinentur ad caput Iesum Christum, unde tristi lapsu auulsi erant. Nunc considera magnitudinem huius rei: post resurrectionem ascendent in montem Domini, & in loco sancto eius stabunt: accipient benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo: in domo Domini habitabunt, exaltantes in gloria & laudantes eum in secula seculorum: tunc fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum. ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! ô sine fine gaudium, ac sine aliquo tædio manentem semper æternitatem! Nulla ibi discordia, nullus diaboli metus, nullæ dæmonum insidiæ, terror gehennæ procul est, mors neque corporis neque animæ, sed immortalitatis munere metus uterque resoluitur. ô pulcherrimum cætum, & coronam longè fulgentissimam non tantum ex hominibus sanctis, sed ex angelis, atque Archangelis, thronis, dominationibus, principatibus ac potestatibus ornatam! Cuius vox aut orationis vbertas de summo rege ac iudice, qui horum omnium medius residet, dicere sufficet? effugit omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, pulchritudo, gloria, virtus atque magnificentia.

tia.
doctr
iteru
huma
motu
mort
perie
pulti
vivo
CVR
disse
potè
in q
mne
tis o
ab A
Etsi
tuti
Chri
gene
fulci
extra
Tert
fus la
eie
ctun

O R A T I O.

tia. Neque sunt aliena ab his in resurrectionis doctrina traditis, ea, quæ scribuntur de mortuis iterum ad vitam reuocatis. Etsi autem spiritus humani corporibus inclusi interdum manent, & motus sensusque occulti ac deincti ita sunt, vt à mortuis suscitati esse dicantur, qui verè nondum perierant: Sicut expertum est cum aliqui sunt sepulti, quos postea euidenter cognitum est adhuc viuos fuisse, vt testatur Augustinus: Se vidisse de CVRINA qui cum in aduertam valetudinem incidisset, ab omnibus penè pro mortuo habebatur, vt potè omisis sensibus alimento nullo nutritus est: in quo statu aliquot dies hærens, postquam omnes eum decessisse arbitrarentur, repente apertis oculis dixit, à se Paradysum visum esse, seque ab Augustino baptizatum, aliaque multa narrauit. Etsi (inquam) multi sic in Ecstasi consimili constituti reuera non decesserunt: attamen certum est Christum Iesum Dei altissimi filium, & humani generis saluatorem, tres in vita verè mortuos resuscitasse: filiam Primatis Synagoge, filium vidue Matthæi 9. extra portam ciuitatis elatum, Marci 5. & Luc: 7. Tertium, Lazarum, qui iam triduo in terra defossus latitârat. Sic etiam Thabita à Petro Apostolo Actorum 9. eiectis omnibus foràs & positis genibus ante lectum ad vitam reuocatur, dum clamat, Thabita

D iij surge.

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.ig.j./

O R A T I O.

surge. Non etiam dissentiunt ab his, illi qui, mortui non sunt, sed disparuerunt: vt Henoeh Genesis 5. qui cum Deo ambulasse perhibetur: 4. Regum c: 2. Helias, qui curru cœlesti & igneis equis assumptus ex hominum oculis euanuit. Verùm inter eos hoc discrimen statuendum erit: qui in nouissimo die resurgunt, in aëra rapiuntur non per turbinem, vt illi, sed per resurrectionis gloriam.

Repugnantia. Atque cum his ex diametro pugnant deliria & furores Saducæorum, Manichæorum, Libertinorum, Chiliastarum, qui animas statuerunt esse mortales, quos satis superque vel ex prioribus confutatos esse spero.

Conclusio. Atque hæc in præsentia scribere volui: non nescius, longè plura afferri potuisse, nisi compendio me horum summam comprehensurum initio dixissem. Restat, vt vnusquisque certus de hoc primario fidei articulo, vnum id agat, ne mundi huius irritamentis à Deo ita se abstrahi patiatur, vt vitam eam viuat, quæ Epicureismum & Atheismum sapiat. Neque enim video quid aliud de iis pronunciem, qui in diem perinde viuunt, ac si nulla alia vita, iudicium nullum restet. Proinde, quibus salus animæ curæ est, qui verè viuere, id est, æternum volunt: illi, vitæ huic renuncient, quod fiet, Christo si vixerint, de superis solliciti fuerint,

Régi nyomtatványok, Lyceum, Kežmarok:
/307.13.j./

O R A T I O.

fuerint, infera hæc ex Apostoli præcepto pro quilibet qui illis habuerint: ut miseriæ huius fine appetente, læti tandem in portum exultationis æternæ transferantur, duce Christo, qui mortis repagula sua morte ita fregit, ut ianua sit nobis ad regnum cœlorum factus. Quo ut omnes in ipso & per ipsum potiantur, à DEO optimo maximo ex animo precor.



Errata sic corrige.

A pagina 6. lin: 5. pro quicumque, lege quicquam. pag: 7. lin: 14. pro abrepta, lege absorpta. lin: 24. pro valuit, lege voluit. pag: 8. lin: 6. pro augustus, lege angustus. B pag: 1. lin: 3. pro reportabit, lege reparabit. pag: 3. lin: 12. pro conuersum, lege conuersa. pagina 4. in fine tertiæ lineæ, lege super vos. eadem pagina linea 23. pro ipsius, lege ipsius. pagina 6. linea 21. pro tum, lege tunc. pagina 7. linea 9. pro aliquod, lege aliquid. C pagina 5. linea 1. pro nisi, lege mihi. eadem pagina linea vltima pro consideremus, lege consideremus. pag: 6. lin: 3. pro posteaquam, lege posteaque. pag: 7. linea 7. post respondeant, lege quæso. lin: 17. pro frenato, lege frenabo. lin: 26. pro incorruptiles, lege incorruptibiles. pa: 8. lin: 12. pro monumentis, lege monumentis. D pagina 2. linea 7. post conscientiam, lege tuam. pag: 3. lin: 24. pro nunquam, lege nequaquam.

Régi nyomatványok,
/307. ig. j. /
Lyceum, Kežmarok: